

## EXPERIMENTUM IV.

**V**irgo, 15. annor., chronica cordis palpitatione multum affligebatur, nec corpus citra anxietatem summam, aut metum suffocationis, aut animi deliquium movere licuit.

Remedia quæcunque exhibita, licet maxime in hoc morbo celebrata, malum potius auxerunt, nec attulerunt levamen.

Dedi igitur granum unum extracti Hyosciami mane, & unum vesperi.

Malum inde brevi mitigatum fuit, & ægra longe liberius potuit corporis motum exercere.

Dedi dein ter de die granum unum hujus medicamenti, & post dies octodecim malum integre filuit.

An-

Ante usum harum pilularum siti indelebili omni tempore matutino ægra vexabatur, cessavit autem sitis, dum quievit cordis palpitatio.

Evanuit quoque nimium frequens urinæ fluxus, etenim hæc ægra antehac fere omni hora copiosam, & limpidissimam urinam miliit.

Etiam increvit ciborum appetitus.

Volui aliquoties in hac ægra medicamenti dosin augere, & dare pro qualibet vice grana duo.

Verum ægra hanc quantitatem non tulit, etenim quoties bina grana assumpsit, toties afficiebatur dolore colico, qui autem nec admodum fævus fuit, nec diu duravit.